Theses utriusque juris canonici, civilis.

Numéro d'inventaire : 1979.32349
Auteur(s) : Antoine Jean Terray
Type de document : affiche
Éditeur : Ballard (Paris)
Imprimeur : Ballard
Période de création : 3e quart 18e siècle
Date de création : 1767
Description : Un feuille de grand format, partiellement collée sur une feuille cartonnée. On voit quelques traces de pliures. Estampe dans la partie supérieure, texte imprimé dans un cadre ornemental dans la partie inférieure.
Mesures : hauteur : 735 mm ; largeur : 495 mm
Notes : Affiche annonçant les thèses de droit canonique et de droit civil que doit soutenir Antoine Jean Terray, le mercredi 27 mai 1767, à Paris. Le jury est présidé par Edmond Martin. Les articles de droit canonique traitent du statut des moines. Les articles de droit civil concernent les prêts à intérêt. La gravure, avec la suscription "patrono suo", représente saint Jean agenouillé devant un crucifix.
Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics
Filière : Université
Niveau : Supérieur
Autres descriptions : Langue : Français
Nombre de pages : 1
ill.

PATRONO SUO.

THESES UTRIUSQUE JURIS.
EX MATERIA SORTITO DUCTA.

CANONICI.
Ex Cap. 6. Extrà. *De Statu monachorum.*

I.
RELIGIO cultus eſt qui deo exhibetur : hinc fideles omnes dici poſſunt religioſi ; at quæ pars fidelium ſuam non tantùm juxtà divina præcepta, ſed etiam juxtà concilia Evangelica vitam votis inſtituit, à ſeculi tumultu remota, qui ſe ſe ad hæc ultima obſtrinxerunt ſpecialius regulares dicuntur, & monachi.

II.
HUJUSMODI vitæ originem nonulli divo Joanni Baptiſtæ aſſignant, nec deſunt fortè, qui eam ad aliam uſque referunt verùm id ſanctorum hominum genus exordium habuiſſe, labente quarto ſeculo, à ſanctis viris, Paulo & Antonio rectius eſt aſſerere.

III.
NON tantum olim regulares propriâ profeſſione fiebant, ſed etiam divini cultus amore parentes plerique filios ſuos & filias propemodùm è cunis in Monaſteria tansferebant, ſuâque oblatione deo conſecrabant, ſic autèm oblatis non erat regreſſus ; ſecùs in poſterioribus Eccleſiæ ſeculis.

IV.
PROFESSIO vitæ regularis eſt votum deo factum vivendi ſub certâ regulâ ab Eccleſiâ approbata hæc fieri non debet, niſi ultrò & ſpontè poſt annum probationis completum in manibus abbatis, aut alterius poteſtatem habentis, nec non in ſcriptis.

V.
EST & alia profeſſionis conditio, ætas legitima, quæ quidem variè variis temporibus, & pro diverſitate ſexûs & auſteritate regulæ definita eſt. Noviſſime ſublatâ ſexus & regulæ differentiâ, voluit tridentina ſynodus, ne quis ſex decim annis minor profeſſionem ſolemnem emittat ; alias nullius erit momenti.

VI.
DUPLEX religioſa profeſſio : expreſſa, & tacita. Expreſſa, quæ ſit ritu ſolemni ; tacita, quæ nititur conjecturis idoneis duntaxat, tacitæ profeſſiones hodiernis moribus non admittuntur : quæcumque profeſſionis formula virtualiter vel explicite votum triplex continet, caſtitatis potà, paupertatis & obedientiæ.

VII.
VOTUM caſtitatis in religione emiſſum duo includit. Primum eſt abſtinere à conjugio, & ab omni actu conjugali ſecundum eſt vivere in caſtitate extrà matrimonium, idque ex voto, adeò ut ſi religioſus contrà caſtitatem peccet, votifragus ſit.

VIII.
VOTO verò paupertatis religioſi ſe in particulari, omni bonorum temporalium dominio exuunt, undè nihil proprii, nè quidem peculium habere poſſunt & cùm pro mortuis civiliter habeantur, eis & parentibus ſuccedere, & ſibimet heredes inſtituere prohibitum eſt.

IX.
VOTO tandèm obedientiæ regulares ſuperiorum voluntati & judicio ſubjiciuntur, ſi profeſſi in uno monaſterio ad aliud arctioris regulæ migrare deſiderent ; debent à Prælato licentiam petere, licèt eam obtinere ſtricto jure non teneantur.

CIVILIS.
Ex Lege 4. Cod. *De Uſuris.*

I.
USURA eſt acceſſio ſortis, quæ propter uſum pecuniæ uſque ad legitimum modum, certiſque ex cauſis præſtari ſolet.

II.
ALTERIUS igitur rei, quàm pecuniæ uſura propriè non dicitur, ideòque quod ab aliâ quâcumque re obvenit, non uſura, ſed fructus appellatur.

III.
QUAMVIS jure canonico, legeque divinâ uſuræ prohibitæ ſint, mitius tamen legibus Romanorum tractatæ ſunt ; jure itaque civili permiſſum eſt uſuras exigere, modò fines à legibus præſcriptos non excedant.

IV.
MODUS uſurarum variè pro variis perſonis definitus eſt trientes viris illuſtribus, beſſes negotiatoribus, ſemiſſes cæteris perſonis permittuntur. Nunquàm majores centeſimis uſuras exigere fas eſt.

V.
IN bonæ fidei judiciis uſuræ rectè petuntur ex pacto contractui incontinenti adjecto ; immo & ex ſolâ morâ in negotiis illis debentur.

VI.
AT verò in judiciis ſtricti juris non ſufficit uſuras ſpeciali conventione promiſſas fuiſſe, ſed requiritur, ut in ſtipulatum fuerint deductæ.

VII.
SI tamen nudo pacto promiſſæ ſolutæ fuerint, cùm jure naturali debeantur, neque ut indebitæ repetuntur, neque in ſortem accepto ferendæ ſunt.

VIII.
POTEST quoque creditor per retentionem pignoris uſuras ſervare, de quibus præſtandis convenit, licet nulla ſtipulatio intervenerit.

IX.
MODO tamen pignus expreſſè in ſortem & in uſuras conſtitutum ſit ; ſi enim priori tantùm contractu pro minoribus uſuris obligatum ſit, in majores uſuras ex poſteriori contractu promiſſas repetitum non intelligitur.

Has Theſes ex utroque Jure, Deo duce, auſpice Deiparâ & præſide Cl.V.D. EDMUNDO MARTIN, J.U.D. *Antecesſore & Decano, tueri conabitur* ANTONIUS JOANNES TERRAT, *Pariſinus, die Mercurii* 27 *Maii, anno Dom.* 1767. *à meridianâ ad ſecundam.*

Aderunt cum jure ſuffragii ſorte ducti Clar. D.D Boyer, Deferriere, Drouot, Hardoin, Goüillart.

PARISIIS.

IN RHEMENSI JURIS AUDITORIO.

PRO BACCALAUREATU.